Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Hierosolyma nomine urbis in palestina metropolis Iudeorum: prius Iebus / postea Salem Tertio hierosolyma. Ultimo Helia dicta / Cuius urbis primus conditor fuit (ut Josephus testatur) Canaan: qui iustus appellatus erat rex / Et hic quidem Melchisedech Sacerdos dei altissimi dicebatur / Qui cum ibidem primum edificasset illud Solyma appellatur / Solymi fuere populi iuxta liciam quos homerus pugnatissimos et a bellerophonte deuictos dicit, et in montibus habitasse / Et cornelius Tacitus cum de Iudeorum origine opiniones narrat / Alii clara Iudeorum initia solymos carminibus celebratam homeri gentem conditam urbem hierosolyma nomine suo fecisse / Unde Iuuenalis Interpres legum solymarum / Ex ciuitate Cananee genti usque ad tempora Dauid regis habitata fuit / Nec Josue Iudeorum princeps eos Cananeos seu Iebuseos expellere potuit / Dauid Iebuseis expulsis ciuitatem reedificasset eam Hierosolyma: munitissima nuncupauit / huius urbis situs et munitio petrosa erat / et triplici muro cingebatur / Que ut Strabo ait interius aquis habundabat Exterius uero omnis circa fossam habebat in lapide excisam quadraginta pedum profunditate: Latitudo uero .cc l. / E lapide aut exciso educta erant celeberrimi templi menia / Hec Hierosolyma longe clarissima urbium orientis supra duos colles erat condita interuallo directos Usque quam domus creberrime desinebant / Collium alter quo superior ciuitas excelsior et in prolixitate ~~directior~~ Castellum Dauid dicebatur

directior

Alter qui inferiorem sustinet ciuitatem Undique decliuis est vallis in medio ad Syloam protenditur Ita fonte qui dulcis est vocabant / Firmissime aute Dauid Salomonis aliorumque intra regum opera ornata fuit / Agrippa ex parte ciuitati addiderat et cinxerat / Exuberans enim multitudine paulatim extra menia serpebat / Noua est pars addita Noua ciuitas / Omne autem ciuitatis in gyro spacium triginta et tribus stadiis finiebatur Et si in toto admirabilis / tercius murus admirabilior ob excellentiam turris que ad septentrione occidenteque surgebat in angulo / De qua sole orto Arabia prospici poterat / et mare usque ad fines hebreorum / Et iuxta eam tres turres: et due quas herodes in antiquo muro edificauerat / Mirabilis fuit lapidum magnitudo exsecto marmore candido / ita adunatis ut singule turres singula saxa viderentur / Huic in septentrionali parte Aula regia prestantissima surgebat / Muro alto cincta ac uarietate saxorum ornata / Multe denique porticus per circulum flexe columneque in singulis: que inter das sub diuo patebant spacia ubi erant viridaria cum cisternis eneis quibus aquam effundebant / Pudet dicere huius regie qualis fuerat cum flamma ab intestinis insidiatoribus omnia consumpsit / De excidio tamen huius regie urbis inferius patebit / Urbem aut sacra reddidit natiuitas Christi / Pluraque sacra in eo loco videre possumus / Primum est quo locus est xps / Templum seu templi ruina in quo docuit: locum ubi cum summa humilitate passus est Christus / ut nos omnes passionibus liberaret / Sepulcrum ubi sacratissimum illud corpus substitit / Et unde ascendit in celum quo ad iudicium rursus redibit / ubi uentis et fluctibus imperat / ubi denique elegit indoctos atque inopes piscatores / qui hamis et retibus ~~pisces~~ imperatores et reges gentium / ubi cecos illuminat / leprosos mundauit / paliticos erexit / mortuos suscitauit / Multaque alia que longe prosequi tediosum esset cum ex Euangelio nota sint

piscarentur

Hierosolyma